Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et quod signum fiet quando hec omnia
incipient consummari. Et respondens
Ihesus cepit dicere eis. videte ne quis
vos seducat. Multi enim venient
in nomine meo dicentes: quia ego sum
et multos seducent. Cum autem audie-
ritis bella et opiniones bellorum
ne timueritis. Oportet enim hec fi-
eri sed nondum finis. Exurget autem
gens contra gentem et regnum super
regnum. et erunt terremotus per loca
et fames. Inicium dolorum hec. Vide-
te autem vosmetipsos. Tradent enim
vos in conciliis et in synagogis
vapulabitis et ante reges et pre-
sides stabitis propter me in testimo-
nium illis. et in omnes gentes primum
oportet predicari ewangelium. Et cum
duxerint vos tradentes nolite co-
gitare quid loquamini; sed quod
datum vobis fuerit in illa hora id lo-
quamini. Non enim vos estis loquen-
tes. sed spiritus sanctus. Tradet enim frater
fratrem in mortem. et pater filium et con-
surgent filii in parentes et morte af-
ficient eos. Et eritis odio omnibus
propter nomen meum. Qui autem susti-
nuerit usque in finem hic salvus erit.
In illo tempore. Cum videritis s. marcum.
abhominacionem desolacionis stantem
ubi non debet qui legit intelligat.
Tunc qui in iudea sunt fugiant
in montes. et qui super tectum non de-
scendant et in domum non introeant.
ut tollat quid de domo sua. Et
qui in agro erit non revertatur re-
tro tollere vestimentum suum. Ve
autem pregnantibus et nutrientibus
in illis diebus. Orate ergo ut in
hyeme fuga vestra non fiant. Erunt
enim dies illi tribulacionum tales
quales non fuerunt ab inicio seculi
creature quam condidit deus usque
nunc neque fient. Et nisi breviasset
dominus dies non fuisset salva omnis
caro. Sed propter electos quos ele-
git dominus breviavit dies. Et tunc
si quis dixerit vobis: ecce hic est
christus ecce illic non credatis. Ex-
surgent enim pseudo christi et pseudo
prophete et dabunt signa et portenta
ad seducendos si fieri potest etiam
electos. vos ergo videte. Ecce pre-
dixi vobis omnia; sed in illis diebus
post tribulacionem sol contenebrabitur.
et luna non dabit splendorem suum.
Et stelle celi erunt decidentes. et
virtutes que sunt in celis movebun-
tur. et tunc videbunt filium hominis
venientem in nubibus cum virtute mul-
ta in gloria. Et tunc mittet angelos
suos. et congregabit electos suos
a quatuor ventis a summo terre
usque ad summum celi. A ficu autem dis-